GENETHLIACUM,

VIRO

Excellentissimo Experientissimo atque Doctissimo,

DOMINO

GEORGIO PETRO Schultzen /

D. & Prof. Publ. Ord. Gymn. Thorun. meritissimo,

Natalem Suum

D. 28 *Ianuar. Anno M. DCCXIII.* *celebranti,*

Debitæ observantiæ testandæ ergo oblatum

à

Triga AVditorVm Ex Ord. Supr.

THORVNII,

Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMN. Typogr.

Jure dies nostris venit hæc celebranda Camœnis,
Quam post disjectas tenebras & nocte fugata,
Flammivomus Titan, vasto se gurgite tollens
Oceani, Eois hodie revocavit ab oris.
Hæc etenim hæc est illa dies, quæ luxit in ortus
Prima Viri Clari, nostri qui culmina Pindi
Incolit, ad Clarium sacræ Permessidis amnem
Dux noster, cujus puro de fonte propinat
Indefessus aquas nobis, qui quasi eundum
Ad Sophiæ, nec non Themidos palatia sacra
Monstrat iter, vitæ tradens præcepta regendæ,
Atque docens, quænam menti medicina salutem
Afferat, & morbos ejus propellere possit;
Qui sit finis, & extremum quid, quidque bonorum
Cunctorum summum, quod ab omni parte beatam
Efficiat vitam; tum qua ratione tenenda
Imperii sint frena, quibus Respublica quævis
Legibus & placitis & moribus atque statutis
Sit moderanda, modo quo sit reddenda beata
Et felix; simul & libros evolvere Legum
Instituens, & nosse quid æquum, & reddere jura,
Atque brevi: omnigenis dulces e fontibus haustus
Instillans, quippe Aoniis bene potus & Ipse
Undis, & variæ doctrinæ nectare dulci.

Scili-

Scilicet a teneris Musarum est castra secutus,
Strenuus ac annos per multos egit in illis,
Assiduaque manu doctorum scripta Virorum
Trivit, desidiæ ac ignavi nescius otî.
Sicut apis flores quærens, quamplurima rura
Pervolat, e pratis decerpens optima quæque:
Collegit variis doctrinæ mella viretis,
Dum multos hominum mores perspexit & urbes,
Atque peregrinans magnorum ex ore pependit
Doctorum, quos perpetuo mirabitor omnis
Aetas. Vidit Eum *multa laude inclyta tellus*
Belgarum, sedes Musarum, & clara palæstra
P*alladis, ac ostendit* Ei *quæcunque celebrant*
Has oras, ritusque suos, legumque statuta;
Vidit Eum *inprimis toto celeberrima mundo*
Leida, domusq; Heliconiadum penetralia pandit,
Abstrusasque ad opes illarum aditumque viam-
que.
Quis tanta virtute Viri *genialia nolit*
Festa sacris celebrare modis, quis debita nolit
Gaudia testari, ac obstrictæ pignora mentis
Doctori *jam ferre suo, & bona fundere verba?*
Exigit id pietas, veterumque exempla requirunt,
Quos scimus cultu vario celebrasse Calendas
Nata-

Natales magna clarorum laude Virorum.
Omnia tunc ſonitu reſonabant atria læto,
Succendebantur numeroſi thuris acervi
Junoni, aut etiam faciebant pulte fritilla,
Et Genium venerabantur, precibusque colebant,
Ergo & nos hodie merito pia thuro litamus
Sed non Junoni (ut cœcis detenta tenebris
Gens paganorum) aſt cœli terræque Satori
Summo, conjunctis votis & mente precantes:
Adſit avis TIBI *natalis* Clariſſime SCHULTZI
Det DEus, incolumi ac ſalvo TIBI *ſæpius iſta*
Feſta dies fauſto ac læto omine læta recurrat,
Donec inoffenſæ traducto tempore vitæ,
Natalem celebres cœleſti ſede beatus.